SYNODUS DIOECESANA

SANCTÆ BENEVENTANÆ ECCLESIÆ
Ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino

JOANNE BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA TIT. S. PANCRATII
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

B U S S I

A R C H I E P I S C O P O.

Celebrata juxta antiquum ejusdem Ecclesiæ morem
die 24. Augusti 1829.



B E N E V E N T I MDCCCXXIX.

Ex Typographia Rev. Cam. Apostolicae.

JOANNES BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA

TIT. S. PANCRATII S. R. E. PRESBYTER

CARDINALIS BUSSI

S. Metropolitanæ Ecclesiæ Beneventanæ

ARCHIEPISCOPUS.

Decretum de Synodi aperitione.

In Nomine Sanctissimæ, et Individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Postqnam Sapientissimus rerum omnium Creator, et moderator Deus, in cujus manibus sunt hominum sortes, et vita, et mors, e vivis eripuit in mense Februarii currentis Anni, et ad se vocavit eximium Benefactorem nostrum Pont. Opt. Max. Leonem XII; difficile dictu est, qui fuerit Cordis nostri dolor, et luctus; nec non grati animi significatio, in cujns argumentum cum nostro dilectissimo Capitulo imm.ortali viro mortali vita defuncto justa persolvimus. De divina interim ope, et indeficienteEcclesiae adsistentia non dubitavimus. In ea confisi speravimus viduatam Sanctissimam Sponsam mox visuros alio Sponso, et Magistro donatam; et amplissimae dignitatis, qua licet immeriti decorati sumus, officio satisfacturi, ad

almam Urbem, et Conclavis incommoda libenter, et nulla interposita mora perreximus. Nostris, et omnium fidelium votis arrisit misericordiarum, et totius consolationis Pater, et brevi, et plurium Electorum suffragiis Sacrosanctae Catholicae Ecclesiae Pontificem illum concessit, quem in soliditate Romanae Cathedrae omnibus virtutibus praeditum veneramur dignissime constitutum.

Expletis muneribus nostris ad hanc Metropolitanam sedem reditum maturavimus; ea praesertim sollicitudine moti, ut antiquissimum morem circa annuae Synodi convocationem prosequeremur. Nostrum nunc est vobis in hac Synodo congregatis, Venerabiles Presbyteri, et Episcopatus Nostri Coadjutores, exponere, ut nobis innotuerunt, Summi Pontificis prolata beneficia, et sensus aperire, et vota in rebus bene arduis: ut vestrum interea ducimus et Summi Pontificis excipere gratias, et ejus Sanctissimis studiis, et consiliis strenue manus admovere. Commune enim debitum est, communis causa, et bonum commune. Quocirca quintam nostram Dioecesanam Synodum hac ipsa die 24. Augusti ad Omnipotentis Dei et Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, Beatissimae Deiparae, S. Michaelis Archangeli, B. Ap. Bartholomaei, SS. Pontific. Nostrorum, Januarii, et Barbati, SS. Dominici, et Filippi Nerii Confessorum, coeterorumque nostrae Civitatis Sanctorum Patronorum, aliorumque Sanctorum gloriam, honorem, et laudem apertam esse, atque inceptam volumus, decernimus, ac promulgamus.

TITULUS PRIMUS

De Confirmatione Synodorum usque modo celebratarum.

Dioecesanas Synodos per nos et a Praedecessoribus nostris sancte et salubriter celebratas, pro ea tamen parte, quae his decretis non repugnet, confirmamus, et ab omnibns, ad quos spectat observari mandamus sub poenis in illis statutis et comminatis.

TITULUS SECUNDUS

De Fide Catholica.

Nunquam satis laudatus Supremus Pontifex, qui per divinam indeficientem promissionem nec fallere, nec falli potest in rebus fidei, et morum, ad partes celsissimae dignitatis sibi divinitus traditae diligentissimae exequendas, e Summi Pontificatus Specula; justitiae, et veritatis aeterno Sole sibi praefulgente, Christianum Orbem circumspexit. Vidit, et tabescens, et illacrimans vidit novos perditos homines, qui nolentes supra se regnare Christum, captatis ab inferis erroribus, et blasphemiis, armis, insidiis, conflictibus, omnia Sanctissimae Religionis ejus subvertere, et conturbare conantur. In corde vigilantissimi Supremi Pastoris summam excitarunt tristitiam, et zelum, qui per Philosophiam, cujus se jactant doctores, et per inanes fallacias secundum Mundi elementa

invectas, omnia ea, quae Religionem sapiunt, veluti aniles fabulas, et superstitiosos ritus contemnunt; qui omnium genio indulgentes e Religione qualibet patere salutis portum arbitrantur; qui non valentes negare sacrorum Bibliorum divinitatem, eorum et veba, et sensus callide subvertunt, et depravant; qui Dei Religionem, et humanas simul Potestates spernentes, utramque sagittant in occultis.

Horum pestifera inventa, et gravissima damna, ut vidit, ingemuit amantissimus suorum filiorum Pater, et Magister: statim cor suum dilatavit, et missa Epistola Encyclica sub datum Romae die 24. Maji hujus Anni ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos, praenunciata mala ipsis exposuit, et ad ea profliganda, et evellenda ipsorum operam exquisivit, et auxilium.

Ut satis fiat muneri tanti momenti, qui dati sunt Episcopis Consiliarii, et Coadjutores, reliquique omnes de Clero indesinenter adlaborent ad Dei gloriam, ad Fidei exaltationem, et ad salutem Animarum. Ante omnia toti sint in erudienda spiritum pietatis juventute; in suadendis conjugibus cujus fidei, et religionis sit magnum Matrimonii Sacramentum, et cujus debiti cura, et morigera filiorum educatio; et in exquirendo ab omnibus, ut declinent a malignis, et eorum verba, et scripta quasi a facie colubri fugiant. Vox illorum eloquens doceat Ecclesiae filios, firmiter tenendam esse, et uti unice veram, et uniee ad praestandam aeternam salutem idoneam Sanctam Catholicam, et Apostolicam fidem, doceat eum esse amplectendum sacrae Scripturae sensum, quem tenuit, ac tenet Sancta Mater Ecclesia, et unanimis consensus Patrum; doceat obedientiam

praestandam esse a Deo praeposito Principi, cujus vigilantissimis curis debet populus florentem vitae, honoris, et bonorum conservationem; et insuper pro viribus doceat divinum Mandatum, quod qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Vigilent Pastores ad detegendas machinationes, et omnes errorum, et scelerum causas: Curent, ut illae praecaveantur, et eliminentur: Insudent, ut eos, qui contradicunt, in omni patientia, et doctrina arguant. Omnes insuper sine intermissione orantes faciant, ut petitiones suae innotescant apud Deum, ut illuminet illos, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, et omnes dirigat in viam salutis.

Haec exequentes et alacri animo Summi Pontificis hortamenta, et mandata sectantes, ne dubitent, quin Summi Pontificis studia, et vota optatum finem consecutura sint.

TITULUS TERTIUS

De Indulgentiis, et Remissionibus.

Sanctissimus D. N. et Pater Pius PP. VIII. secum reputans, cujus ponderis sit universam regere Jesu Christi militantem Ecclesiam, et ad illud recte sustinendum quam necessarium divinum auxilium, vix ad summi Pontificatus apicem evectus preces exquisivit totius dominici gregis, quibus permotus divinus Pastor suo Vicario praesenti semper adstaret auxilio, et tutamine, et interim proferre fidelibus non dubitavit Ecclesiae thesauros, quo eorum preces essent magis profusae, et ferventes, magis gratae, et efficaces.

Quocirca apostolicis literis sub datum Romae die 18. Junii labentis anni universo Catholico Orbi indulgentiam ad formam Jubilaei indicere curavit.

Haec in praesenti Synodo praelibanda exhibemus, ut debitus cultus, et observantia Pontificiae providentiae ab omnibus praestetur, exorantes interim nostrae Dioecesis fideles, ut orationes faciant sine intermissione ad Deum pro Pastorum Principe; et ut ipsi percipere possint indulgentiae fructum, exhortamur Parochos omnes, ut debitis instructionibus, et dispositionibus praeparent eosdem ad Sacramentum poenitentiae sancte, et salubriter percipiendum.

Publicabimus deinceps Jubilaei conditiones, tempus scilicet, durationem, opera injuncta, facultates Confessariis elargitas, et Indulgentiae amplitudinem; quod prius non fecimus, ne fervens messis, et collectio frugum multis esset obstaculum ad tam praestans beneficium percipiendum.

TITULUS QUARTUS

De Usuris.

Ea est humani cordis per peccatum sanciata conditio, ut capti nonnulli aviditate amplificandae fortunae, et scire non curantes, quod *avarus non implebitur pecunia, et injuriae annullabunt substantiam*, perraro intra fines justi, et honesti se contineant, cum speculatores facti in contractibus mutui, novos speciosos titulos investigant, et effutiunt ad aliquid sub specie recti ultra sortem exigendum. tot, et tantas in praesenti cognovimus proferri causas, et rationes ad

hujusmodi Contractum semper justificandum, et ad alienas substantias subripiendas, ut nullum pene mutuum, pactum inveniatur; in quo juxta eorum inventa licitum non sit, usuras exigere, et propterea inutile prorsus videatur mandatum: *Mutuum date, nihil inde sperantes.*

Qui a Domino Coeli, et terrae constituti sunt humanorum actuum Judices non solum ut extrinsecus se exhibent, sed etiam et multo magis ut intrinsecus se gerunt, et sunt, debent esse optime instructi circa contractus mutui universam saniorem doctrinam, ita ut apti sint, et idonei ad bene ponderandas omnes conditiones, et circumstantias cujuslibet mutui; ad discernendum inclinationes, et spiritum contrahentium, et ad recte judicandum verus ne sit titulus, an palliatus tam in suscipiendis Sacramentalibus Confessionibus, quam in dirigendis conscientiis. Confessarii enim, et Rectores animarum, quos circa hanc rem fideles consulunt, si munus suum explentes fallaces sunt ex qualibet causa, rei evadunt falsi judicii, vel consilii, et idcirco mutuatariis illata damna in defectu mutuantium rependere debent.

Semper igitur qui curam gerunt animarum prae oculis habeant. quod mutuum nunquam potest, nec debet parere fructum, quod si verum sit, et explanatum adesse titulos, per quos aliquid ultra sortem percipere licet, non uti partem mutui, sed uti vel lucri cessantis, vel damni emergentis compensationem; sunt tamen qui illos credunt aptatu idoneos omnibus, et singulis mutuis. Sed per rectam doctrinam, et intelligentiam facile erit cognoscere in multis casibus nullum ex justis titulis congruere posse.

Quidam inter ceteros se habent excusatos in captandis usuris hoc praetextu, quod pecunia mutuo data

non erat apud ipsos otiosa. Si haec justa causa esset exigendi fructum, omnes qui numerarium commodant, nunquam usurarii evaderent, quia omnes, qui pecuniam habent, habent ad aliquem usum destinatam. Ut igitur Confessarii in similibus casibus rectum proferant consilium, et judicium, cognoscere debent, quod ut fructum pareat pecunia commodata, designata sit vel ad annuos reditus emendos, vel ad aliquam negotiationem, cujus certus, vel probabilis fructus recte aestimetur; et insuper, quod mutuanti nihil aliud pecuniae sit commodandum; aliaeque concurrant conditiones, de quibus fuse disserunt Auctores.

Audent alii, cum titulus adest lucri cessantis, exigere a mutuatario omnem lucrum, quod percipere sperabant a rebus suis, nulla habita periculi, incertitudinis, conservationis, et expensarum ratione, quae ad judicium prudentum aliquam habent aestimationem. Tales sunt, qui post messem, vel in hyeme frumentum tanti vendunt, quanti aestimatum ibit in futuro mense Majo; et dum hoc pretium, quod saepissime est maximum, exigunt, nihil detrahunt pro valore periculi, et conservationis frumenti ipsius. Dum ita se gerunt, clarum est quod aliquid ultra justum percipiunt hujusmodi mercatores.

Vanum est insuper quorumdam effugium, qui dicunt a legibus humanis usuras permissas esse; nam leges humanae ad expeditiores reddendas causas juris praesumptione habent semper pro certo, et probato, quod qui invocant earum patrocinium ad fructum sortis exigendum, hunc repetant freti alicui ex justis titulis.

Haec memoratu digna existimavimus, ut Parochi, et Confessarii semper prae oculis eadem habeant, et

fidelibus explanent, et praedicent, docentes etiam eos, quam severa sit restitutionis obligatio, et poenarum gravitas contra usurarios; hoc enim modo eo validius usurarum pesti remedium opponetur, quo magis hodie ubique grassatur.

TITULUS QUINTUS

De iis, quæ ad uniuersas Constitutiones pertinent.

Omnes, ad quos spectat, pro ea parte, quae singulos tangit, praecipimus ut suam quisque obligationem agnoscat praecipue Canonici, et alii de nostro Capitulo vel Collegiatarum Ecclesiarum, et Parrochi, et Archipresbyteri, et Beneficia obtinentes; omnesque etiam Clerici pro eo, quod ad vitam et honestatem Clericorum pertinent, infra mensem, postquam impressa fuerit haec nostra Synodus, ejus exemplum penes se habere teneantur sub poena arbitrio nostro infligenda. Mandamus praeterea, ut in qualibet conferentia casuum conscientiae. et SS. Rituum habenda in singulis locis Dioecesis juxta Synodales Constitutiones, legatur et explicetur per Praefectum dictarum Conferentiarum unus saltem titulus tam hujus, quam nostrarum praecedentium Synodorum.

FINIS.

Judices et Examinatores Synodales confirmati sunt omnes praecedenti anno deputati
Et insuper adjecti sunt sequentes Examinatores

Ex Clero Saeculari Dioecesano.

Adm. Rev. Dominus Franciscus Xaverius Meomartini Abb. Curatus Terrae Reghini.

Ex Clero Regulari

R. P. Magister Bonaventura Troisi Ord. Min. Convent. S. Franc. et Guardianus Conventus Civitatis Montisfusci.

JOANNES BAPTISTA CARD. ARCHIEPISCOPUS.





Paschalis Canonicus Ventura Synodi Secret.